

Aduerte motum accipi tripliciter : *Primo*, pro omni mutatione, quâ se res habet aliter, quam prius, quâ in consideratione motus ad omnia pertinet prædicamenta; nam in re cuiuslibet prædicamenti potest fieri quædam mutatio; omnia enim creata sunt mutabilia. *Secundo* sumitur motus pro acquisitione aliqua, siue fiat in instanti, siue successiue, quo pacto etiam ad substantiam erit motus, quia per generationem, quæ est motus instantaneus, acquiritur substantia. *Tertio* sumitur pro acquisitione successiua alicuius rei, in qua sumptione propriè motus dicitur motus, & ut sic est successiuius, motus autem instantaneus non solet dici abso- lute motus, sed cum addito, nempe motus instantaneus, de quo non est sermo in physica.

Probatur verò *secundo* Responso: Illud est de essentia, quo sublato tollitur essentia: sed sublata successione iam motus propriè dictus in instantaneum transit, ergo successio est de essentia motus propriè dicti.

Num. 4.
Continuitas
est tantum
proprietas
motus.

Respondeo ad *secundum*, Continuitatem tantum videri proprietatem motus propriè dicti; est enim maxima differentia inter successio- nem, & continuitatem; nam successiuius dicitur, quod non est permanens, at continuum illud est, quod non est interruptum: unde aliqua res successiua potest esse non continua, v. g. effundatur vas aquæ supra tectum domus, & postea guttatim decidat illa aqua, ita ut guttæ à se inuicem separatæ cadant, illud vas aquæ effusæ dicitur decidisse successiue, non tamen continue; quantitas verò v. g. bipedalis est quidem continua, non tamen successiua, sed per- manens.

Ex quo probatur Responso: Illud non est de essentia, sine quo potest concipi essentia alicuius rei: sed sine continuitate possumus concipere motum ipsum successiuius, ut patet in al- lato exemplo aquæ effusæ, diximus tamen con- tinuitatem esse proprietatem motus; quia ordi- nariè motus successiuius fit continue potius, quam discrete.

Controuertunt hic Physici, an allata defi- nitio motus conueniat etiam motui instanta- neo? D. Thomas *tertio* Physic. *lectione septimâ* vult quod sic, at Scotus *tertio* Physic. *quest. 1.* tenet quod non.

Num. 5.
An allata
motus defi-
nitio conue-
niat etiam
motui instanta-
neo.

Respondeo, Si attendamus ad mentem A- ristotelis, non definiuit hic motum, nisi successi- uum, potest tamen applicari dicta definitio eti- am ad motum instantaneum. Probatur prima pars; quia definiuit Aristoteles motum, in quan- tum est proprietas corporis naturalis, ergo ut quid successiuius, & non instantaneum, cum enim corpus physicum sit quantum, dum mo- uetur, debet moueri motu quanto, ergo non in- stantaneo. *Secundo*: Multi dubitant, an Aristote- les cognouerit creationem? ex eo quod crea- tio sit motus instantaneus ex nullo præsupposito subiecto. *Tertio*, ad sensum experimur mo- tum, antequam sit in termino ad quem debere prius fuisse in termino à quo, ergo in eo reperi- tur successio, quia ubi est prius, & posterius, ibi est successio.

Dixi tamen, quod possit accommodari ad motum instantaneum, in quantum motus in-

stantaneus prior naturâ est actus entis, quam sit in potentia; dicitur enim actus, quia fluit à mo- uente, & dicitur in potentia respectu formæ ac- quirendæ.

Quæres, an etiam conueniat motui cele- sti, & circulari? Respondendum affirmative, quia motus calorum, & omnia circularia sunt actus entis in potentia, id est per eum acquiritur locus à parte ad partem.

Tertium in titulo intentum est, in quonam reponatur prædicamento motus? pro cuius rei determinatione sunt quot capita tot sensus; Alij enim collocant motum in prædicamento actionis, Alij in prædicamento passionis. Alij in utroque: Alij volunt esse genus quoddam ad actionem, & passionem; Alij collocant in prædicamento sui mobilis: Alij reducant ad cate- goriam sui termini: omittis varijs illis, & inani- bus opinionibus iuxta veriorum doctrinam sit.

DECISIO.

Resolutio: Motus reducitur ad eam cate- goriam, in qua eius terminus, seu forma, quæ acquiritur per talem motum, ponitur. Sed an- tequam probetur resolutio, aduerte dupliciter motum considerari posse: *Primo* ut est forma fluens v. g. in motu alterationis albo, quatenus acquiritur, est forma fluens; *Secundo* non pro ipsa forma fluente, sed pro ipso fluxu: sic possumus considerare aquam è recto cadentem, nempe ipsam aquam simul cum fluxu, seu casu, deinde ipsummet tantummodò præcisè fluxum aquæ, & ita potest dici de motu, dum autem in præsentem dicimus motum reuocari ad suum ter- minum, sermo est de ipso fluxu, nam certum est, quod forma fluens reducat ad categoriam formæ quietæ.

Num. 6.
Determinat
author mo-
tum reduci
ad cate-
goriam sui ter-
mini.

Probatur verò sic Resolutio: Omne in- completum reducitur ad categoriam sui com- pleti; sed motus est quid incompletum respectu formæ acquisibilis, ergo ponitur in prædicamen- to formæ acquisibilis; quare motus localis, seu motus ad ubi reducitur ad prædicamentum ubi; motus ad calorem reducitur ad prædicamen- tum qualitatis, cuius species est calor.

Prob. primò.

Ex quo argumento habetur, quod motus, cum sit quid incompletum, non ponatur directè in categoria; quia solum ens completum ponitur directè in categoria, quod verò motus sit aliquid incompletum, fatentur omnes, motus enim est via, & fluxus, via autem, & fluxus re- spectu termini, & rei permanentis est quid in- completum, reducitur ergo motus ad tot diuer- sa prædicamenta, quot sunt diuersæ formæ in di- uersis categorijs collocatæ, quæ acquiruntur per motum.

Vnde probatur *secundo* resolutio: Omnis via reducitur ad prædicamentum termini, cuius est via; sed motus est via ad formam acquisibi- lem, ergo motus ponitur in categoria eius for- mæ acquisibilis, cuius est via, maior, & minor sunt satis euidentibus.

Secundò.

Probatur *tertio* ex reiectione aliarum opi- nionum: *Primo* quidem contra eos, qui affe- runt poni in prædicamento actionis, & passio- nis, nam si poneretur in prædicamento actionis, omnis motus esset actio, sicut quod ponitur in prædi-

Tertio.